

determinant istas species ad significandum sacramentaliter corpus Christi, se habent ut forma. Sicut etiam anima Christi, in quantum instrumentum divinitatis effective dedit vitam corpori in resurrectione; in quantum autem forma physica corporis, dedit vitam formaliter.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo arguitur ad probandum quod sacramentum eucharistiæ in recto et intrinsece includit et componitur ex corpore Christi, quia patres communiter significant hoc sacramentum esse ipsum corpus Christi; componi seu constare ex corpore Christi; absolute adorari adoratione patriæ, quod non convenit speciebus, sed ipsi corpori Christi. Neque est opus referri ad longum omnes istas auctoritates, quæ videri possunt apud Suarez et Vasquez locis citatis. Sufficit dicere usitatum esse apud fideles hoc sacramentum appellari corpus Christi. Et Paulus dicit 1 ad Corinth. undecimo: *Judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*: et hoc sacramentum absolute odorari adoratione patriæ usus universalis Ecclesiæ habet, et diffinit Concilium Tridentinum sessione XIII, canone V. Constare autem hoc sacramentum ex speciebus et corpore Christi (quod videtur magis ad quæstionis punctum attingere) expresse dicitur in capite Hoc est, de consecratione, dist. II, ubi dicitur: « Sacrificium Ecclesiæ duobus constat, scilicet, visibili elementorum specie, et invisibili Domini Jesu carne. » Irenæus lib. IV, cap. XXXIV, inquit: « Eucharistiam duabus rebus constare: terrena et cœlesti. » Et S. Thomas in IV, dist. VIII, quæst. I, art. I, quæstiuncula prima ad secundum

ait: « Ex speciebus et corpore Domini fieri unum sacramentum. » Quæ autem alii plures dicunt, nullam aliam majorem difficultatem habent, quam istæ auctoritates jam relatæ.

XVI. Respondetur has omnes locutiones a nobis admitti; sed non deduci ex illis, quod sacramentum hoc in recto, et prout in genere signi, componatur ex Christo tamquam ex parte, aut tamquam ex constituyente hoc sacramentum intrinsece; sed tamquam extrinseco contento, et significato. Sicque accipitur contentum pro continente, signatum pro signo, quando hoc sacramentum nominatur ipsum corpus Christi, sicut si ostensa arca dicamus: Hoc est triticum, significando ipsum contentum in arca. Similiter adoratur hoc sacramentum adoratione patriæ, ratione rei contentæ, et quia conjuncta est speciebus quasi velaminibus per modum unius, sicut rex vestitus cum veste adoratur, nec sit ibi separatio vestis a rege, sed tamen ratio adorandi tota est in rege; sic totum hoc sacramentum adoratur per modum unius; tota tamen adorationis ratio est res contenta (scilicet Christus) non ipsum sacramentum continens, scilicet species consecratæ. Quod vero dicunt aliqui patres, et S. Thomas, hoc sacramentum constare ex speciebus visibilibus, et re invisibili, seu corpore Domini, respondetur sensum esse, quod constat utroque, sed non eodem modo. Pertinet enim ad hoc sacramentum Christus, non ut constituens directe sacramentum, sed terminative, scilicet, ut res contenta et significata; et sic in obliquo etiam pertinet ad essentialia constitutiva, et quasi extrinsece; sicut objectum pertinet ad specificationem actus et potentiæ, et signatum ad speciem signi: et sicut contentum est terminus, quem

essentialiter respicit ipsa res continens; et sic ex illo ut contento, et ex speciebus ut continentibus, sacramentum hoc perficitur; ita tamen quod res contenta non constituat directe ipsum continens, et ipsum signum quod est sacramentum.

XVII. Secundo arguitur ratione: Ex speciebus et corpore Christi fit aliquid unum, sed non nisi unum sacramentum: ergo etiam corpus Christi pertinet ad directum constitutum hujus sacramenti. Major probatur, quia inter species et corpus Christi datur aliqua unio, si quidem corpus Christi subrogatur loco substantiæ panis; inter subjectum autem et species, seu accidentia illa, erat aliqua unio: ergo etiam inter species illas et corpus Christi substantiæ subrogatum. Si autem datur unio: ergo resultat aliquid unum, quia unio ad unitatem ordinatur. Minor vero probatur, quia illud unum quod resultat, non est aliud quam ipsa eucharistia, neque enim est aliquid unum entitative naturale, seu physicum; ergo unum sacramentaliter. Quod etiam patet, quia totum illud inde resultans constituit unum cibum efficienter causantem et significantem refectionem spiritualem gratiæ: ergo resultat unum sacramentum, quia sacramentum est signum efficiens gratiam.

XVIII. Confirmatur primo, quia si aliquid obstaret quominus Christus ibi contentus non componeret hoc sacramentum directe, maxime quia est res ibi contenta, et se habet ut res et sacramentum simul; sacramentum autem est signum sensibile, et non componitur ex illo quod est res et sacramentum, quia hoc est effectus ipsius sacramenti, et sic supponit ipsum; sed hæc ratio est nulla. Minor probatur, nam in sacramento pœnitentiæ contritio

est aliquid internum, et non sensibile, et se habet ut res et sacramentum simul, et tamen directe componit sacramentum pœnitentiæ ut pars integrans illius; sacramentum enim pœnitentiæ constat confessione et contritione ut partibus; ergo eodem modo poterit eucharistia constare ex speciebus et corpore Christi, non obstante quod corpus Christi sit res et sacramentum simul.

XIX. Confirmatur secundo, quia illud directe pertinet ad sacramentum, et constituit illud, quod directe habet efficientiam in effectum principalem sacramenti, qui est gratia; sed corpus Christi est quod directe habet efficientiam in effectum principalem sacramenti, qui est gratia; nam corpus Christi est quod præcipue causat gratiam in hoc sacramento, juxta illud Joan. VI: *Qui manducat me, vivet propter me*: et: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ibidem. Unde S. Thomas in ista quæstione, art. I comparat corpus Christi quantum ad efficientiam gratiæ, et virtuti Spiritus sancti assistendi in baptismo; ergo principalis efficientia competit ipsi corpori Christi; ergo etiam principalis constitutio sacramenti, quia sacramentum est effectivum gratiæ.

XX. Respondetur concedendo, quod inter species et corpus Christi est aliqua unio, et resultat aliquid unum. Et ad minorem cum dicitur, quod non resultat nisi unum sacramentum, distingo; unum sacramentum quoad rationem sacramenti directe et intrinsece tantum, nego; quod sit unum in ratione sacramenti quoad intrinsecum et extrinsecum, quoad continens et contentum, transeat. Ad probationem, illud quod resultat non est aliud quam ipsa eucharistia, seu aliquid in genere sacramenti, respondetur



eadem distinctione; non est aliud quam eucharistia quantum ad id quod pertinet in recto et intrinsece ad rationem eucharistiæ, nego; quantum ad id quod pertinet intrinsece et extrinsece, in recto et in obliquo, concedo; et hoc totum quod constat ex recto et obliquo, ex continenti et contento, pertinet ad refectionem et cibum sacramentalem, sed non eodem modo, quia corpus Christi pertinet ut res contenta et significata; species vero consecratæ, ut signum continens; et ideo species in recto et intrinsece sunt in genere sacramenti, quod est genus signi: Christus autem ut terminus totius significationis, quia est res signata: et ideo dicitur pertinere terminative, et in obliquo ad hoc sacramentum.

XXI. Instabis: Substantia cibi in recto et formaliter pertinet ad ipsum alimentum, non solum de connotato et in obliquo, sed tota substantia hujus cibi est corpus Christi: ergo non potest pertinere ad constitutionem hujus cibi in obliquo et de connotato, sed directe et formaliter. Similiter ratione sacrificii corpus Christi pertinet directe ad constitutionem sacrificii, quia est ipsa res oblata; est enim eadem res oblata in hoc sacrificio et in cruce; ibi autem solum corpus Christi oblatum est, species autem consecratæ non sunt ipsa res oblata: ergo si in ratione sacrificii et cibi corpus Christi intrat in recto etiam in ratione sacramenti, quia cibus et sacrificium nihil aliud sunt, quam ipsum sacramentum, et ipsa eucharistia.

XXII. Respondetur concedendo quod in cibo materiali substantia pertinet directe ad constitutionem cibi, quia pertinet directe ad materiam convertendam in substantiam aliti, et in hoc consistit cibus materialis: in cibo autem sacramentali, non sic, quia substantia ejus non

convertitur in nos, sed nos convertimur in ipsum; et ideo oportet quod iste cibus, in quantum cibus sacramentalis, constituatur in recto et intrinsece per id quod significativum est, quia ly sacramentalis est idem, quod significativus; et ideo substantia hujus sacramenti debet solum terminative et in obliquo pertinere ad hoc sacramentum, id est, tamquam res contenta et signata, et tamquam substantia, in quam convertimur; non tamquam substantia quæ convertitur in nos, quia non consistit in recto iste cibus in aliqua materia, seu substantia convertibili in comedentem. Ad id vero quod dicitur de sacrificio, respondetur quod sacrificium non consistit in ipsis speciebus consecratis permanentiter continentibus et significantibus Christum, sed in actione qua defertur cultus Deo, immutando aliquam materiam in honorem Dei, ut quando mactabatur animal, vel consumebatur in sacrificio. In præsentia autem consistit sacrificium in ipsa mactatione mystica, qua Christus vel consecratur, vel sumitur in duplici specie, seorsum corpus, et seorsum sanguis, ex vi verborum; qui enim communicat in specie tantum, non sacrificat. Unde Christus sub speciebus istis pertinet ad sacrificium tamquam materia oblata et sacrificata, quæ directe pertinet ad sacrificium ex parte ejus quod offertur. At vero ratio et formalitas sacramenti, non est ipsa res oblata et significata, sed signum illius; et ideo species consecratæ, quæ sunt signum, pertinent directe ad sacramentum; Christus autem terminative, et ut res contenta.

XXIII. Ad primam confirmationem respondetur, quod contritio, seu dolor in sacramento pœnitentiæ, dupliciter consideratur, uno modo ut est actus seu effectus vir-

tutis pœnitentiæ, et causa confessionis dolorosæ, quia imperat illam, et est quasi forma illius: alio modo consideratur dolor et contritio ut subsequitur ad sacramentum, et est effectus illius, et accipit ab ipso vim sacramentalem ad causandos effectus hujus sacramenti, scilicet gratiam sanativam, securitatem conscientiæ, et alios similes effectus, qui dantur in sacramento pœnitentiæ; cujus signum manifestum est, quia quando aliquis accedit cum sola attritione, quæ de se non est sufficiens dispositio ad gratiam, virtute sacramenti illa attritio sufficit ad gratiam, et causat illam. Primo modo contritio vel attritio non est res et sacramentum, sed tantum dispositio orta ex virtute pœnitentiæ ad justificationem; et sic est pars sacramenti mediante confessione sensibili, quatenus informat illam, et reddit dolorosam. Sic enim non est inconveniens, quod aliquid invisibile concurrat ad compositionem sacramenti, quatenus est ratio ut ipsa materia sensibilis sit actus humanus, et proportionatus tali sacramento; sicut in matrimonio contractus exterior nisi procedat a voluntate interiori, non est debita materia sacramenti; et similiter in pœnitentiâ confessio exterior nisi procedat a dolore interiori, non est debita materia sacramenti. At vero secundo modo, dolor interior prout redditur sacramentalis, id est, quatenus ex sacramento accipit vim ad causandos effectus sacramentales in anima, sic est res et sacramentum simul; sed hoc modo non componit sacramentum pœnitentiæ, neque est pars illius, sed effectus; ideo sacramentum ipsum supponit.

XXIV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod habere efficientiam in gratiam sacramentalem stat dupliciter; primo tamquam si-

gnum sensibile; secundo tamquam virtus invisibilis, vel etiam ut res significata; sicut etiam character impressus in baptismo potest habere invisibilem virtutem ad gratiam, vel ad effectus sacramentales. Quod habet efficientiam tamquam signum practicum, pertinet principaliter et in recto ad constitutionem sacramenti; quod vero habet efficientiam solum secundo modo, non constituit sacramentum intrinsece et in recto, sed tamquam res contenta et significata. Et hoc modo caro Christi habet efficientiam gratiæ, non tamquam signum visibile, sed tamquam res significata, et virtus invisibilis.

XXV. Ex quibus manent solutæ rationes, quas Vazquez supra disp. CLXV, capite v affert, et dicit esse evidentes. Altera est: Eucharistia est corpus Christi, seu constat corpore Christi, ut dicunt patres citati; hoc sacramentum est eucharistia: ergo hoc sacramentum est corpus Christi, aut constat corpore Christi, solutum est ex dictis; dictum est enim, quod eucharistia est corpus Christi, sumendo continens pro contento, qui est frequentissimus modus loquendi: non autem quod est corpus Christi in recto, et intrinsece; constat enim, quod etiam patres et Ecclesia, secundum communem loquendi modum dicunt, quod eucharistia continet corpus Christi; et in hoc sacramento continetur corpus Christi; quæ locutiones sunt verissimæ. Non possent autem verificari, nisi corpus Christi esset res contenta: ergo quando patres dicunt, quod eucharistia est corpus Christi, sumunt continens pro contento. Altera ratio est: Spiritus cibis animæ, aut est corpus Christi, aut constat corpore Christi; hoc sacramentum est spiritualis cibus animæ: ergo hoc sacramentum est corpus Christi, aut constat



corpore Christi. Responsum est supra, quod spiritualis cibus constat corpore Christi, ut contento et significato, non ut significante et continente; et ideo pertinet ad hoc sacramentum tamquam terminus significationis connotatus ab ipsa, non tamquam ratio significans, vel constitutum ipsius signi: hoc autem sacramentum est spiritualis cibus per modum cibi sacramentalis et significativi, non rei significatæ.

XXVI. Ultimo arguitur ad probandum verba non constituere formaliter hoc sacramentum, sed tantum effective; et præter argumenta allata et soluta, quomodo possint verba successiva informare species consecratas permanentes, et non solum consecrationem ipsam, quod jam explicatum est: præter hoc, inquam, est argumentum ex Vazquez ubi supra, capite tertio, quia in Concilio Florentino, in instructione Armenorum docuit pontifex, formam hujus sacramenti esse verba salvatoris. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum, si conficit: ergo est causa efficiens sacramenti: ergo non formalis: non enim idem potest esse forma et efficiens respectu ejusdem. Confirmatur, quia materia quæ subjicitur verbis tamquam formæ, est panis et vinum, ut ibidem pontifex dicit; sed panis et vinum est materia destruenda per verba: ergo non informatur verbis, quia forma informans non corrumpit id quod informat; materia autem proxima quæ manet (scilicet species consecratæ) non assignatur a pontifice pro materia verborum, sed solum panis et vinum: ergo signum est verba ista non habere materiam quam informant, sed circa quam operentur, sicut lignum dicitur materia combustionis, et sic non assignat Concilium for-

mam informantem hujus sacramenti, sed efficientem; sic enim assignat formam sicut materiam; sed non assignat materiam quæ componat sacramentum, sed quæ destruat, scilicet panis et vinum: ergo neque formam informantem, sed efficientem sacramenti, et destruentem substantiam panis. Denique verba non significant ipsam gratiam sanctificantem nos, sed solum conversionem panis in corpus Christi: ergo verba non sunt pars essentialis, et forma informativa sacramenti, quia hæc debet significare gratiam.

XXVII. Respondetur, quod hoc ipso quod pontifex assignat formam hujus sacramenti, debet assignare formam informantem sacramentaliter, et non solum efficienter, quia non potest dari efficiens, quod præcise corrumpat et destruat, non autem aliquid efficiat: id autem quod efficit, est sacramentum, quod est aliquid artificiale, constans ex aliqua forma significativa: ergo talis forma debet poni, et illa est forma effecta, et consequenter informans, et non solum pure efficiens. Cum ergo pontifex dicit, quod sacerdos in persona Christi loquens perficit hoc sacramentum, respectu sacerdotis causam efficientem designat; respectu autem verborum causam formalem, quatenus determinant et imponunt species illas ad significandum determinate corpus Christi. Unde non est idem forma et causa efficiens, sed efficiens est sacerdos, et verba sunt forma, quamvis etiam non repugnet (ut supra diximus) quod forma sit informans, et simul efficiens instrumentale respectu sui compositi secundum diversas considerationes; sicut anima Christi fuit forma informans corpus in resurrectione, et instrumentum Verbi ad eandem resurrectionem efficiendam.

## ARTICULUS III.

*Quæ sit unitas specifica et numerica in hoc sacramento, et unde sumatur?*

I. Non dubitandum est, quin quælibet species, sive panis, sive vini, sit integrum et totale sacramentum independenter ab alia; qui enim sumit speciem panis, non sumit partem sacramenti, sed sacramentum integrum, quia dat integrum effectum: ergo habet integram essentiam et speciem sacramenti quælibet species secundum se; ergo differt specificè una species ab alia in ratione sacramenti. Nec dici potest, quod quælibet species est integrum sacramentum individualiter distinctum ab alio; non specificè. Nam contra est, quia plus distinguuntur in ratione significationis species panis ab specie vini, quam duo calices, vel duæ particulæ panis, quia unum significat corpus, et aliud sanguinem: sed duæ hostiæ sumptæ a diversis hominibus, vel duo calices, sunt duo sacramenta numero; ergo si species panis per se sola seorsum a calice est integrum sacramentum, plus differt a specie vini, quam ab alia specie panis; ergo differt specificè in ratione significationis sacramentalis.

II. Confirmatur, quia non est eadem relatio signi in pane et vino, neque eadem specificatio; ergo neque idem specificè sacramentum. Consequentia patet, quia sacramentum est in genere signi: ergo si variatur specifica ratio significationis, variatur unitas specifica sacramenti. Antecedens vero probatur, nam in istis duabus speciebus concurrunt diversæ materiæ, diversæ formæ, diversa significata, scilicet corpus in uno, sanguis in altero:

XXVIII. Ad confirmationem respondetur, assignari a pontifice materiam remotam hujus sacramenti, scilicet panem et vinum; non tamen negari proximam, quæ sunt species consecratæ. Verba autem expellunt substantiam panis et vini, convertendo illam in corpus Christi; et hoc faciunt efficienter, formaliter autem dant illis speciebus significationem ad placitum, et sacramentalem corporis Christi, ut non amplius significant substantiam panis; accidentia enim naturaliter et ex se significabant substantiam panis, sacramentaliter autem et ad placitum ex institutione divina significant corpus Christi; unde indigent verbis tamquam dantibus hanc impositionem, et significationem sacramentalem, quæ utique non est forma efficiens, sed informans ipsum sacramentum, quia formaliter constituitur in genere signi sacramentalis. Quare pontifex assignavit formam sicut et materiam; sed respectu materiæ remotæ quam ibi expressit, forma illa se habet effective respiciendo illam tamquam materiam circa quam operetur; respectu autem materiæ proximæ se habet forma ut informans, in quantum tribuit illi significationem sacramentalem, ut dictum est.

XXIX. Ad ultimum respondetur, quod verba significant gratiam hoc ipso quod significant corpus et sanguinem Christi, quia significant corpus per modum cibantis animam, et sanguinem tamquam fuscum in remissionem peccatorum; si ergo significant remissionem peccatorum, et cibationem animæ, utique ipsam gratiam significant, quæ istos effectus ponit in anima.